



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Vtrum prima & vnica causa materialis generabilium substantiarum, sit aliquod corpus simplex, vel substantia integra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Disput. 13.
sect. 2.

vna & eadem materia esse in omnibus illis. Sed hæc obiectio tangit quæstionem illam, an materia sit pars quidditatis substantiarum materialium, quam inferius commodiori loco tractabimus, nunc breuiter respondetur essentias harum rerum materialium esse diuersas ac dissimiles quoad formas: similes vero quoad primam materiam. Neque hoc quicquam obstat essentiali diuersitati: hæc enim non excludit conuenientiam & similitudinem in aliqua parte.

SECTIO III.

Verum prima & vnica causa materialis generabilium substantiarum, sit aliquod corpus simplex, vel substantia integra.

I.



Ntiqui Philosophi (vt Aristoteles & alij auctores præcedente sectione citati referunt) qui vnum tantum materiale principium naturalium rerum posuerunt, fere omnes putarunt esse aliquam substantiam integram, seu corpus simplex, quale Auerroes existimat esse celeste corpus. De illo autem corpore seu materiali causa, fuit inter eos multiplex opinio.

Opiniones Philosophorum de vno materiali principio.

II.

Prima asseruit hoc principium esse aquam, cuius auctor fuit Thales Milesius: alij vero, vt Plutarchus, putant antiquiorem esse, & ab Orpheo duxisse originem. Secunda opinio hoc munus tribuit aeri, quam docuere Anaximenes, & Diogenes Apolloniades, vt Aristoteles refert 1. Physicæ cap. 3. & ibidem Simplicius declarat. Tertia opinio fuit, ignem esse huiusmodi causam, quam docuere Hippasus, & Heraclitus: & eandem secuti sunt Stoici, vt est apud Ciceronem 2. de Natura Deorum. Quarta sententia potuit ad hoc officium terram eligere, eò, quod omnibus subit, & sit veluti communis omnium mater. Aristoteles tamen 1. Metaphysicæ capite 7. ait, hanc fuisse vulgi opinionem: nullum autem Philosophorum in eam inclinasse, eò, quod terra propter nimiam densitatem & siccitatem ad recipiendas aliarum rerum formas, vel figuras inepta esse videatur. Hesiodus tamen in sua Theogonia absolute vocat terram omnium rerum materialem principium: idemque sensisse Pherecidem refert Theodoretus in libro de Materia & mundo. Quinta opinio nulli ex quatuor elementis hoc munus tribuit, sed cuidam corpori insensibili medio, vel inter aquam & aerem, vt Aristoteles refert primo Metaphysicæ capite 7. vel inter aerem, & ignem, vt Anaximander, qui addidit hoc medium corpus esse infinitum, ne vnquam generatio deficeret: contra quam infinitatem alibi disputat Aristoteles. Videtur autem inde colligi, Philosophum hunc non posuisse hoc corpus incorruptibile, alioqui non esset cur timeret successionem generationum posse consumi, si finitum esset, quamquam vix possit intelligi quomodo fecerit illud corruptibile, si existimauit illud esse simplex, & commune subiectum generationis.

III.

*Iudicium
fertur de
prædictis
sententijs.*

Proximum esset ac superfluum propria motiua horum omnium Philosophorum referre, eò, quod & incerta sint, & nullam præ se ferant probabilitatem, aut verisimilitudinem, vt ex dicendis obiter constabit. Illud vero commune omnibus fuisse videtur, quod nihil de nouo simpliciter fieri putarunt, quoniam ex nihilo nihil fieri potest, ideoque nec substantiales formas agnouisse videntur, nec generationem, corruptionemve substantialem. Imò multi eorum indicant nullas esse accidentales formas, quæ

vera entia sint, quia non intelligebant aliquam veram rem posse de nouo fieri, sed omnem mutationem quam experimur, putabant consistere in varijs modis se habendi illius rei quam putabant esse communem materiam. Ex quo aliqui eò ulterius progressi sunt, vt non dicerent causam materialem omnium entium esse vnam, sed omnia entia esse vnum, non numero, sed substantia & essentia, qui licet rem falsam & improbabilem dicerent, consequenter tamen loquebantur, si de solis corporibus generabilibus agebant. Nam, si hæc non transmutantur substantialiter, nec differunt per substantiales formas, sed per accidentia, aut diuersos modos se habendi, re vera nulla datur materialis causa substantiæ, sed datur tantum substantia simplex, quæ non est alia, & alia essentialiter, sed vna aliter, & aliter se habens sub diuersis accidentibus.

Atque hæc fuit opinio Xenophanis, Parmenidis, & Melissi, qui hoc sensu dixerunt omnia esse vnum ens, & quidquid est præter illud, esse non ens: nam accidentia vel modos illius entis inter entia non numerabant. Et consequenter omnem generationem, aut mutationem simpliciter e medio tollebant, eò quod illud ens facerent ingenerabile, & incorruptibile & mutationes accidentales, quia non dant esse simpliciter, non censabant dignas absolute appellatione mutationum. Sunt qui horum Philosophorum sententiam alijs modis interpretentur, scilicet, quod per vnum ens intellexerint vnum vniuersum, quod omnia complectitur, vt innuit Aristoteles 1. de Gener. capite 8. & Simplicius 1. Physicæ capite secundo, vel per vnum ens intellexerint Deum, qui solus verè est. Refert enim Aristoteles 1. Metaphysicæ capite quinto, & Cicero libro 2. Academic. quæstionum, Xenophanem illud vnum ens, Deum appellasse. Atque ita multi & graues auctores hos Philosophos per ænigmata locutos fuisse, & figuratis locutionibus veritatem occultasse existimant: Aristotelem vero impugnasse eorum sententias quatenus in ipsa verborum specie & superficie proferri videbantur. De qua re legi possunt D. Thom. 3. Metaphysicæ textu 15. Philopon. & Simplicius 1. Physicæ capite 1. Eugubinus libro 3. de peren. Philosoph. à capite 7. Mirandus libro sexto, de examin. vanit. capite primo, & Bessario, libris contra Calumnias Platonis. Nostra parum refert quid isti Philosophi senserint, aut quæ mytheria suis verbis occultauerint. Non est tamen dubium, quin si formas substantiales ignorauerint, vt ignorasse videntur, cum de eis nullam mentionem fecerint, facile, fatisque consequenter potuerint in eam sententiam incidere, prout à nobis explicata est. Vnde sola substantiarum formarum probatione, & confirmatione, tam hæc sententia, quam cæteræ refutantur.

Poteit tamen hoc loco referri alia opinio, quam multi ex modernis Philosophis secuti sunt, ponentes in materia prima formam corporeitatis illi coquam, & ab illa inseparabilem. Nam licet respectu talis formæ materialis, causa eius sit simplex, id est, absque essentiali & Physica compositione, tamen illud commune subiectum, quod sub omni transmutatione manet, & est vniuersalis causa materialis omnis generationis, & omnis formæ substantialis, quæ per educationem fit, & omnis compositi quod generatur, illud (inquam) subiectum iuxta prædictam opinionem non est simplex, sed essentialiter compositum, & corpus aliquod non mixtum, neque etiam aliquod ex elementis, neque medium inter illa per eorum participationem, sed absolute corpus per participationem omnium inferiorum formarum. Quam opinionem tenuit Auicenna libro 1. Sufficient. cap. 2. Cuius fundamentum est, quia subiectum generationis debet esse corporeum & extensum, & consequenter quantum: non potest autem esse huiusmodi, nisi aliquam formam substantialem habeat. Et hæc

hanc opinionem ex parte secuti sunt Scotus & Henricus: ille enim in 4. distinct. 11. q. 3. artic. 2. in omnibus & solis viventibus putat esse necessariam huiusmodi formam corporeitatis, seu missionis (ut ipse loquitur) hic vero quodlib. 1. q. 2. & 3. & quodlib. 3. q. 13. & 14. in solo homine illam admittendam censet propter diuisibilitatem animæ rationalis. Vnde hi duo auctores non ponunt hanc formam inseparabilem à materia, neque ut per se necessariam ad primam causalitatem materialem subiecti generationis, sed propter alias speciales causas: & ideo eorum opinio ad præsentem locum non spectat.

Questionis resolutio.

V. Dicendum igitur est primò, causam materialem in suo ordine vniuersalem, & primam non esse aliquod ex sensibilibus corporibus, seu elementis, quæ contrariis qualitatibus afficiuntur. Hæc assertio est contra quatuor opiniones, & est euidenter dictis in sectione præcedenti: nam, si hæc elementa & omnia corpora sensibilia inuicem transmutantur substantialiter, nullum eorum potest esse primum subiectum transmutationis: nam primum subiectum, quod est prima causa materialis quam inquirimus, non transmutatur, nec recedit à sua substantia; alioqui resolveretur in aliud prius subiectum, & ita ipsum non esset primum. Præterea cum generatio fiat inter contraria, necesse est, ut communis generationis subiectum, nullum habeat contrarium sibi naturaliter innatum, alioqui vel nunquam erit capax alterius contrarij, vel corrumpetur per abiectionem eius, quod sibi est connaturale: sicut destruitur elementum ablata qualitate sibi necessaria. Cum ergo singula elementa sint affecta proprijs qualitatibus habentibus contrarium, nullum eorum esse potest aptum generationis subiectum: ergo neque esse potest prima causa materialis entium naturalium.

VI. Atque hinc confurgit tertia ratio, quia non est cur hæc causalitas potius attribuatür vni elemento, quam alijs, neque etiam est cur magis repugnet omnibus simul, quam alicui eorum: sed ostensum est non posse omnibus conuenire: ergo nulli verè attribuitur. Prior pars maioris propositionis declaratur, quia singula elementa sunt simplicia corpora, & vnum quodque est aptum & institutum ad mitiorum generationem, & nullum eorum ex alijs potest vltimo modo constare: singula enim proprias habent qualitates repugnantes alijs: ergo in omnibus est æqualitatio, vel repugnantia, ne esse possint communis materia rerum omnium generabilium. Quod enim in quibusdam sunt quedam conditiones accommodatæ ad officium materiæ communis, ut est, v.g. in igne subtilitas, ratione cuius facile potest omnia penetrare: in aere quod ferè sit communis locus rerum omnium, & facile externas impressiones recipiat, in aqua humiditas cum ea densitate coniuncta, quæ ad constituendum nutrimentum rerum omnium proportionata videatur: hæc (inquam) conditiones nil referunt, tum quia magis iuuant, vel ad rationem efficiendi, vel ad rationem materiæ transiētis, quam ad propriam & intrinsecam rationem causæ materialis: tum etiam, quia illæ conditiones sicut sunt accommodatæ quibusdam rebus, ita sunt repugnantes alijs: subtilitas enim ignis habet proportionem cum materia rerum subtilium, non vero cum materia rerum densarum: & sic de alijs. Prima vero materialis causa cum sit communis omnibus, ex se debet esse indifferens ad omnia.

VII. Altera pars maioris propositionis probatur, quia omnia elementa simul non possunt esse materia communis, quia transmutantur ad inuicem substantialiter: imò nec mistum componere possunt, nisi substantialiter transmutata: sed hæc ratio æquè probat

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

de vnoquoque elemento per se sumpto: ergo. Vnde confirmatur tandem, quia nullum elementum potest esse materia aliorum elementorum, ut per se notum videtur, cum sibi repugnet. Nec in sua natura manens potest esse materia alicuius misti, cum etiā forma misti pugnet cum forma elementi: ergo nullum elementum esse potest communis materia rerum omnium naturalium. Et hæc rationes à fortiori conuincunt de omnibus mistis, maxime cum illa ex elementis constent: & ideo nullus hæcenus hanc causalitatem alicui misto attribuit.

Dico secundò: Materia prima non est aliquod corpus, seu substantia completa, & integra in essentia, & specie substantiæ. Duobus modis intelligi potest materiam esse huiusmodi substantiam. Primò, ut ipsa sola sit substantia omnium rerum generabilium, solumque formetur distinctis accidentibus eorum: & in hoc sensu probanda est assertio ex eo, quod res naturales non tantum differunt accidentibus, sed etiam substantia, & essentia, ut superiori sectione contra Epicurum, & alios argumentabamur. Item reiicienda est (& ferè in idem redit) ex veritate formarum substantialium, quam demonstraturi sumus disputatione decimaquinta. Illa enim veritate supposita, euidenter sequitur materiam non esse tantum materiam substantiam, & has res non tantum accidentibus, sed essentia etiam, & substantia differre, nec secundum sola accidentia, sed etiam secundum substantiam transmutari. Quod etiam ipsa experientia satis est euidenter: nam quando res mutatur in solis accidentibus, permanet in illa aliquod vestigium proprietatum, & operationum eius, vel saltem remotis agentibus contrarijs ad suum statum & naturam reducitur: videmus autem res aliquas ita mutari & destrui, ut priores proprietates, & operationes prius amittant, neque ad illas receant, vnumquam, etiam si omnis actio contraria cesseret, & e conuerso res aliæ ita producuntur & generantur, ut in illo esse quod acquirunt, tanquam in proprio & connaturali constanter permaneant, & secundum illud habeant proprias & connaturales operationes ac dispositiones, quas conseruant, quoad possunt, & si aliquando ab aliquo contrario labefactentur, vel minuantur, statim ac contraria eas recuperant ex propria & intrinseca natura: signum ergo est corrumpi res & generari, non tantum in accidentibus sensibilibus, sed etiam in propria substantia. Atque his modis impugnatur tam quinta opinio supra recitata, quam ea, quæ asserbat omnia esse vnum in sensu declarato.

Alio ergo modo posset quis fingere materiam esse substantiam integram, & completam in aliqua specie substantiæ, & nihilominus esse aptam ad recipiendas vterius formas substantiales, & componendas cum eis varias substantias, & essentias materialium rerum. Et hic etiam sensus improbabilis est: aut enim materia esset completa substantia omnino simplex, aut esset composita ex aliqua potentia, & actu substantiali, hoc posterius dici non potest: primò, quia iam non totum illud compositum, sed potentia ex qua constat, esset prima causa materialis. Dicitur fortasse id esse verum respectu illius compositi, quod ingenerabile fingitur, & incorruptibile: respectu tamen omnium entium generabilium, seu generationis ipsorum primam causam materialem esse totum compositum. Sed contra hoc obijciuntur secundo, quia sine vltimo fundamento fingitur tale compositum: nullum enim est indicium, aut sensibile signum illius formæ interiectæ inter puram materiam, & alias formas, quæ per generationem inducuntur. Quia illa forma nullam habet sensibilem proprietatem, qua dignoscatur: nam primæ qualitates per se consequuntur ad formas elementorum, & temperamenta ex illis qualitatibus composita ad formas mistorum: reliquæ autem qualita-

VIII.

Conclu-
sio.

IX.

tes omnes vel proprietates, quas experimur, supponunt saltem in genere cause materialis, & dispositi-
uæ priores qualitates: nullum ergo est sensibile, aut
materiale indicium talis formæ. Vnde fit tertio, vt
fit omnino superflua, quia nullus est Phylicus effe-
ctus, propter quem sit necessaria, quia non propter
efficiendum, cum non habeat ullam qualitatem per
quam efficiat: aliunde vnicuique qualitati sufficiat
propria forma, cui est connaturalis. Neque etiam
propter recipiendum: nam ad hoc sufficit illa po-
tentia, quæ tali formæ subistere dicitur: cur enim non
poterit etiam illa immediatè subijci formæ, quæ per
generationem inducitur? Et propter eandem cau-
sam non est necessaria talis forma ad conferendam
illam potentiam cuius actus esse dicitur, quia ad hoc
etiam satis est forma, quæ per generationem indu-
citur. Igitur superflue & sine fundamento fingitur
talis forma.

X. Quartò accedit impossibilitas coniungendi duas
illas formas in eadem potentia seu materia: nam, li-
cet in quæstione sit, an forma quasi generica, & spe-
cifica, possint simul actuare materiam, quod paulò
inferius attingemus, tamen quod duæ formæ speci-
ficæ simul coniungantur ad actuandam eandem po-
tentiam in substantialem, planè est impossibile natura-
liter: & in hoc ferè omnes auctores conueniunt.
Quia vel duæ illæ formæ immediatè actuarent ma-
teriam, vel vna esset actus alterius, seu materiæ, vt in-
formatæ per illam. Primum dici non potest, præser-
tim iuxta illam sententiam, quia alias prior forma
non necessariò supponeretur ad posteriorem, neque
compositum ex materia & tali forma, esset proxima
potentia, & materialis causa subsequenti formæ.
Secundum enim dici non potest, quia forma sub-
stantialis, constituens integram & completam sub-
stantiam habet rationem actus vltimi in ratione a-
ctus substantialis, & essentialis, quia constituit vlti-
mam quandam speciem substantiæ: ergo non potest
comparari per modum substantialis potentie ad vl-
teriorem formam. Denique ratio generalis est, quia
non potest vna & eadem substantia essentialiter, ac
per se constitui in duabus speciebus vltimis, sed per
quamcunq; formam ex illis constituitur in propria
& completa specie substantiæ: ergo non possunt si-
mul coniungi illæ duæ formæ in eadem materia. A-
lias quælibet substantia quantumvis completa, pos-
set actuari per vltiorem formam substantialem,
quia non potest maior ratio reddi de vna, quam de
alia. Et huc etiam spectat illa communis ratio, quod
forma adueniens enti iam in actu constituto non fa-
cit vnum per se, sed per accidens ex Aristotele 7. Me-
taphysic. textu 49. & 2. de anim. textu 7. & ideo non
potest esse forma substantialis, sed accidentalis, quia
forma substantialis constituit per se vnum, non per
accidens. Et ratio est, quia forma substantialis dat ef-
fectu simpliciter & essentialiter, & ideo non potest suppo-
nererem constitutam in esse simpliciter, & in essen-
tia completa & consummata. Forma vero acciden-
talis dat esse secundum quid, quod per accidens ad-
iungitur essentia consummata. Igitur impossibile
est subiectum, quod est causa materialis rerum ge-
nerabilium, & generationis substantialis, esse sub-
stantiam completam, & per formam propriam ac
specificam, constitutam.

XI. Atque hæ rationes æquè efficaciter probant, non
posse illud subiectum esse simplicem substantiam in-
tegram & completam in ratione, & specie substan-
tiæ: quia impossibile esset talem substantiam vltius
actuari & compleri per substantialem formam. Si e-
nim hoc repugnat substantiæ compositæ, multo ma-
gis simplicis, quæ per seipsam sit in actu completo, &
perfecto. Illa enim repugnantia nõ prouenit ex com-
positione, sed ex actualitate completa in ratione &
essentia substantiæ, quæ non potest intra illud genus
vltius actuari substantialiter & essentialiter: hæc

autem ratio repugnantia eadem vel maiori ratione
locum habet in substantia simplici, si in genere sub-
stantiæ integra & completa esse supponatur. Atque
hac ratione substantia immaterialis nõ potest habere
rationem substantialis potentie ad vltiorem for-
mam, quia est substantia simplex completa, & idem
est de substantia celi, si est simplex physice, vt multi
volunt: nam est completa in quadam specie substan-
tiæ: & ideo non potest vltius substantialiter actua-
ri: materia ergo prima, quæ actuari potest substantia-
liter, & ens per se vnum componere cum substantiali
forma, non potest esse talis substantia simplex, quæ
sit integra, & completa in genere substantiæ.

Dico tertio: Causa materialis rerum generabilium
non est substantia composita ex substantiali poten-
tia, & aliqua forma substantiali incompleta, & quasi
generica. Hanc assertionem communiter approbant
ferè omnes auctores contra Auicennam, præsertim,
qui negant esse plures formas substantiales in eodem
composito, vt D. Thom. prima parte, quæstione 76.
articulo 3. & 4. libro 2. contra Gentes, capite 58. & li-
bro 7. Metaphysicæ, lectione 12. quem sequuntur
Thomistæ, Capreolus in 2. distinctione 15. quæstio-
ne prima. Caietanus dicto loco, prima parte, & 2. de
anima, capite 1. Ferrarius citato loco contra Gentes,
Socin. 8. Metaphysicæ, quæstione 8. tanell. quæstio-
ne 4. Soto 1. Physicæ, quæstio. 7. Astudillo 1. de Gener.
quæst. 1. & ibid. Marfil. quæst. 6. & Albert. de Saxonia,
quæst. 5. & latè Egid. tractatu de pluralitat. formar.
& 2. de anim. dubio 6. Idem docuere Philopon. 1. de
Gener. in principio. Themist. 5. Phys. tex. 7. & Com-
ment. lib. de substant. orbis, & 1. Metaph. textu 17. & 1.
Phys. tex. 65. & 69. Imò & Auicenn. 1. de ani. part. 1. cap.
3. significat in corruptione manere solum materiam,
& lib. 1. sufficiens. cap. 3. dubitat, an in corruptione
pereat corporeitas, vt ipse loquitur. Aristot. etiam 1.
de Gener. text. 12. & alijs locis suprà citatis aperte in-
dicat eandem sententiam. Rationes asseruntur variz
à Doctõribus: duæ tamen sufficere videntur, quæ
cum proportionem sumi possunt ex probationib. præ-
cedentis assertionis.

Prima ratio est, quia in natura nullus est indicium
talis formæ perpetuò coeuz, & inseparabilis à ma-
teria, neque effectus aliquis, propter quem sit neces-
saria: ergo sine fundamento, vel necessitate fingitur
talis forma. Antecedens probatur, quia illa forma
nullam habet qualitatem sibi propriam, per quam
cognoscatur, neque ex transmutatione substantialis
colligi potest, quia ex huiusmodi transmutatione so-
lum colligitur dari aliquod substantiale subiectum
eius. Quod autem sit compositum, neque ad ratio-
nem subiecti necessarium est, nec ex alio indicio in-
ferri potest. Dices ad rationem subiecti mutationis
Physicæ requiri, vt sit extensum, & diuisum ab alijs:
& ad hoc necessariū est, vt habeat aliquam formam,
quia sola materia per se ipsam non est capax exten-
sionis & diuisionis: nam actus est, qui distinguit: hoc
enim fuit fundamentum contrariæ sententiæ. Sed
hæc ratio nullius momenti est, quia siue opinemur
quantitatem & extensionem ordine naturæ præce-
dere simpliciter in materia prima ad substantialem
generationem, siue opinemur subsequi ad formam
per generationem introductam, & afficere totum
compositum, neutro modo est necessarium, vt sub-
iectum generationis sit compositum ex materia, &
aliqua forma. Declaratur vtrique pars, nam si quan-
titas supponatur ad formam per generationem in-
ducendam, faciliè intelligi potest in hærens ipsi entita-
ti materiæ: nam, vt infra ostendemus, veram & sub-
stantialem entitatem habet.

Et confirmatur, nam illud compositum, quod fin-
gitur ex materia & forma corporeitatis, in completum
quid est, & ita potentiale, vt naturaliter appetat vl-
teriorem formam, sine qua vel omnino, vel saltè con-
naturali modo esse non potest. Et nihilominus di-
citur

citur illud compositum esse sufficiens subiectum quantitatis prius natura, quam recipiat ulteriorem formam: ergo multo melius & facilius attribuetur toto illa capacitas simplici entitati materię, quia nulla maior repugnantia fingi potest quoad hoc in entitate simplici, quam in illo composito; neque actualitas talis entitatis, qualiscunque illa sit, magis repugnabit cum vnione ac compositione per se vltimę formę substantialis, quam actualitas illius compositi ex materia & forma corporeitatis: ergo iuxta hanc opinandi rationem non est necessaria illa forma. Minus autem necessaria est, si opinemur, quantitatem consequi formam, quę per generationem introductur: nam iuxta hanc sententiam supponit quantitas ordine naturę substantiam compositam ex materia & propria forma. Vnde dicendum consequenter erit iuxta illam opinionem ante instantem intrinsecum generationi, toto tempore quo fit alteratio pręuia, supponi materiam in se extensam & diuisam ab alijs per quantitatem & formam rei eorum pendę: in instanti vero generationis conseruari extensam & diuisam per formam introductam, & quantitatem comitantem illam in eodem instanti: nullus ergo est naturalis effectus, nullum ve signum, ratione cuius talis forma, vel compositio ex parte materię admittenda sit.

XV. Secunda ratio est, huiusmodi formam esse impossibilem, in materia cum subsequētibz formis. Hoc autem communiter probari solet ex illa maxima, quod ex duobus entibus in actu non fit vni per se: nam prima forma substantialis constituit ens in actu absolute & simpliciter, quia dat esse simpliciter: ergo nulla forma superueniēs potest ens per se vnum ac simpliciter constituere. Ad hanc vero rationem responderi potest, solum procedere de forma substantiali dante esse specificum & vltimum: nam illa, quę dat præcisę esse genericę, licet habeat rationem actus respectu materię, comparatur tamen vt potentia ad inferiorem formam, & quia est eiusdem generis, constituere poterit vnum per se cum suo actu. Ita enim philosophantur hi auctores in physicis formis, sicut omnes ratiocinamur in Metaphysicis differentijs, in quibus differentia subalterna est actus, superior genus actiuans, & propriam speciem constituens: quę tamen est potentia ad inferiorem differentiam, cum quę ens per se vnum Metaphysicę componit. Sic ergo dicendum est iuxta prædictam sententiam de Physicis formis. Vnde cum dicitur, omnem formam substantialem constituere ens actu simpliciter: respondebitur id esse verum seruata proportionē: nam forma generica constituit ens actu in gradu generico: forma vero specifica in gradu specifico. Et simili proportionē distinguetur illa maxima: quod aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter.

XVI. Quocirca, vt radicis impugnetur illa sententia, probandum nobis est nullam esse posse formam, quę præcisę det esse genericę, quin det etiam aliquod esse specificum in illo genere: nam hoc probato, optimę procedit discursus factus, quia omnis forma substantialis constituit ens actu simpliciter, & in aliqua specie vltima substantię, & ideo impossibile est, vt compositum constitutum per talem formam, sit vltierus actuabile per substantialem formam. Illud autem assumptum probatur primò inductione, tum in formis accidentalibus, tum etiam in formis separatis. Qualitates enim etiam concipiuntur dare esse specificum, vt esse album, & genericę, vt esse coloratum, &c. & tamen nulla est accidentalis forma, quę in re præcisę det esse genericę, & non aliquod specificum. Similiter in Angelis datur generica ratio spiritus, & propria differentia specifica: non potest autem esse, imò nec concipi aliqua forma separata, quę sit substantia spiritualis, & quod in re ipsa sistat in hac præcisę & generica ratione: ergo eadem ratione in formis substantialibus, quę sunt quasi medię,

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

non potest dari forma, quę in re præcisę det gradum genericę: nulla enim assignari poterit diuersitatis ratio. Vnde argumentor secundo ex propria ratione ipsius formę, quia non potest intelligi forma in re ipsa existens, quę essentialiter non sit constituta in aliqua vltima specie formę substantialis, sed omnis forma communicat composito totum esse, totamq; essentiam suam: ergo constituit illud in aliqua vltima specie substantię compositę. Consequentę cum minori sunt euidentēs, & declarari possunt optime inductione facta in prima ratione. Maior vero etiam videtur certissima, quia omnis forma substantialis habet propriam entitatem distinctā in re ipsa a materia, vel alijs formis: ergo necesse est in illa entitate intelligere vltimam & propriam differentiam, seu rationem, per quam distinguitur essentialiter ab alijs formis habentibus diuersam essentiam, cum quibus conuenit in communi ratione formę substantialis: ergo omnis forma substantialis est necessariò constituta secundum suam entitatem in aliqua vltima specie substantialis formę.

Dices etiam, materia prima habet suam propriam entitatem substantialem, & tamen secundum se non est constituta in aliqua vltima specie, sed tantum reducitur ad genus substantię materialis, donec per formam determinetur ad aliquam particularem rationem: ergo idem dici poterit de forma communiori materia. Respondeo falsum esse assumptum: nam materia prima rerū generabilium, de qua nunc agimus, essentialiter est constituta in aliqua vltima specie materię, quam retinet sub omni forma, nec variare illam potest, sed ad summum per accidentia superaddita potest ad hanc vel illam formam accommodari. Quia vero illa essentia materię, quamuis in se specifica & vltima talis est, vt re ipsa communicari possit pluribus substantijs essentialiter diuersis, id, eo secundum se spectata dicitur ad substantiam materialem generabilem vt sic, & non ad aliquam speciem eius. Vnde obiter colligitur, conceptum substantię generabilis, vt sic non esse genericę ratione materię, sed ratione communis gradus, seu conuenientię in forma.

Vrgebis: Materia etiam si in essentia sua habeat vltimam specificationē materię, nihilominus est communis multis substantijs essentialiter diuersis: ergo pari ratione licet forma corporeitatis in sua entitate, & essentiali conceptu habeat aliquam vltimam specificationem, nihilominus esse poterit communis multis substantijs habentibus vltiores rationes essentielles diuersas. Respondeo esse disparē rationem, nam essentia materię est esse quasi fundamentum integrę naturę substantialis, & compositę, & ideo solum est quędam essentia inchoata (vt sic dicam) per modum potentię: & propterea de se est indifferens, vt per varios actus compleatur: at vero forma est completum naturę & essentię substantialis, & ideo hoc ipso, quod habet determinatam & specificam rationem formę, adiuncta materię completum cum illa integrā substantialem naturam, & in aliqua vltima specie substantię constitutam: & ideo non relinquit illam naturam indifferentem ad vltiorem speciem. Quapropter omnes, qui ponunt formam corporeitatis in omnibus, vel in aliquibus entibus naturalibus, consequenter aiunt illam formam præcisę constitui in gradu subalterno corporeitatis absq; vlla contractione essentiali, quod re vera est intelligibile.

Et consequenter etiam admittent compositum ex materia & tali forma, si in re ipsa conseruetur absq; vltiori forma: esse indiuiduum generis corporis corruptibilis, & in nulla vltima eius specie constitui. Quod autem possit ita conseruari de potetia absoluta videtur euident, consequenter loquendo, cum inferiores formę realiter ab illo cōposito distinguantur, & a fortiori patebit ex his, quę inferius de materia

XVII.

Materia prima generabilium stabilem atque omnimodam speciem sibi vindicat.

XVIII.

XIX.

dicemus. Scotus vero etiam naturaliter putat id esse possibile, vt, v.g. in morte hominis vel alia simili: admittit enim ibi corruptionem substantialem sine generatione, & cadauer nihil aliud esse, quam hoc indiuiduum corpus his accidentibus affectu, & in nulla inferiori specie substantiali constitutum. Hoc autem consequens per sese mihi videtur absurdum & incredibile: non enim magis potest concipi hoc indiuiduum corpus per se existens sine ulla specificatione, quam hic spiritus extra omnem speciem, vel hoc coloratum re ipsa affectum hoc colore, & nulla specie coloris. Et ratio est supra tacta, quia indiuidua entitas necessario differt essentialiter ab alijs, & ideo necessarium est, vt in se sit constituta in propria essentia non communi alijs. Vnde confirmatur, nam ex dicta positione sequitur, rationem genericam & specificam distingui realiter in vna & eadem re, quia sumuntur ex formis realiter distinctis: consequens autem falsum esse constat ex dictis supra de vniuersalibus, & declarabitur etiam in sequentibus rationibus.

XX.

Tertia ratio sumitur ex differentia inter essentialem compositionem physicam, ac metaphysicam, quas velle in hoc æquiparare, causa est erroris, cum altera in rebus, altera in conceptibus existat. Argumentor igitur, nam si dari potest forma physica, quæ solum conferat gradum genericum: ergo quot sunt gradus generici & specifici substantiarum materialium, tot erunt multiplicandæ formæ substantiales realiter distinctæ, consequens est falsum: ergo. Sequela probatur à paritate rationis: quæ enim ratio afferri potest, ob quam quidam gradus genericus datur per propriam formam realiter distinctam, & non alij? Maxime, quod iuxta sententiam quam impugnamus, non solum in rebus, quæ videntur eleuari ad altiorum gradum corporum, vt sunt viuientia, sed etiam in infimis, & inanimatis corporibus distinguitur forma dans esse corporis, à forma dante esse ignis, aut lapidis, vel aliud simile: quæ contractio est cum minima diuersitate, quæ esse potest inter aliquod genus, & differentiam substantialem: si ergo illa sufficit ad realem distinctionem formarum, quælibet sufficiat: vnde non defuerunt Philosophi, qui consequens illud admitterent, est tamen non solum falsum, sed etiam ridiculum. Primum, quia constat euidenter inductione superius facta ad abstrahendos conceptus generis differentie, & speciei, non esse necessariam illam distinctionem realem formarum, vt patet in angelis, & accidentibus. Secundum, quia sequitur multiplicandas esse in homine tres animas, quæ est sententia omnino falsa, vt ex scientia de anima suppono. Imò plures etiam multiplicandas erunt, nam in gradu sentiendi potest aliqua conuenientia essentialis abstrahi inter hominem, & aliqua animalia perfecta, quæ non fit communis omnibus animalibus, & in ratione intelligendi potest abstrahi ratio generica communis homini & angelis, quæ per propriam differentiam ad hominem contrahatur. Vnde ulterius sequitur, innumeras formas realiter distinctas esse asserendas in singulis compositis, quia differentie genericæ & specificæ possunt varijs modis multiplicari, iuxta varias conuenientias & differentias, quæ facile possunt in rebus considerari, & secundum eas possunt varijs conceptus communes vel particulares abstrahi. Est ergo magnus error in Metaphysica & Philosophia propter modum nostrum concipiendi confusum vel distinctum, ex quo sæpe oritur generum & differentiarum multiplicatio, reales ac physicas formas distinguere. Alioquin non vnā tantum, sed duas vel tres corporeitatis formas ponere oporteret: vnā corporis in communi vt est genus ad corruptibile & incorruptibile, simplex vel mistum: aliam corporis corruptibilis aut misti vt sic. Quæ omnia ridicula sunt. Vnde non solum necessarium non est propter has mentis operationes formas ipsas multiplicare.

Abiurda ex
opinionis as-
serente for-
mam corpo-
reitatis.

Notam di-
gnam.

verum etiam illis repugnat, quia de ratione proprii generis, & propriæ differentie est, vt eandem reiectentiam dicant diuersi modo conceptam.

Quod tandem confirmatur, quia impossibile est, dari formam substantialem dantem specificum gradum substantiæ, quæ non det etiam illum gradum genericum, & effectum formalem, quem dare fingitur forma corporeitatis distincta: ergo & superflua, & impossibilis est talis forma. Consequentia est euidentis, quia idem essentialiter prædicatum, idem effectus formali non potest eidem rei conuenire per duas formas realiter distinctas. Antecedens vero probatur, quia non potest dari forma substantialis, quæ conferat specificum gradum, quæ essentialiter non includat communem ac genericam rationem formæ substantialis informantis materiam, sed hæc præcisa ratio sufficit ad constituendam formam corporeitatis: ergo forma corporeitatis non est specialis forma, sed est quælibet forma substantialis considerata secundum communem rationem formæ substantialis informantis. Minor probatur (reliqua enim clara sunt) nam ex hoc præcisè, quod aliqua substantia intelligatur composita ex materia, & forma substantiæ, essentialiter est substantia corporea, seu corpus de prædicamento substantiæ: nam ex vi talis compositionis, & est essentialiter distincta à substantia incorporea, & est capax quantitatis seu trine dimensionis, in quo consistit ratio substantiæ corporeæ. Vnde forma corporeitatis vt sic, non dicit, nec requirit, quod ipsa corporea sit seu extensa, sed solum, quod informet materiam: ratione cuius compositum inde resultans, sit capax trine dimensionis: nulla est ergo necessaria aut possibilis forma media, quæ det esse genericum corporis, sed quælibet forma substantialis ex vi suæ genericæ rationis illud confert.

Relinquitur ergo ex omnibus dictis, primam causam materialem substantiarum generabilium non esse aliquam substantiam integram: neque vllum corpus aut compositum ex materia & forma: ac proinde ad substantiarum generationem non supponi per modum subiecti, in quo generatio recipiatur, aliquod corpus ingenerabile & incorruptibile, sed solum materiam primam, solum (inquam) quoad substantiam: nam quoad accidentia quid dicendum sit, postea videbimus.

SECTIO IV.

Verum materia prima habeat aliquam entitatem actualem ingenerabilem & incorruptibilem.



Athenus explicuimus potius quid non sit materia, quam quid sit: nunc hoc secundum inquirendum est, quia non possumus causalitatem materię, & rationem causandi declarare, nisi prius sciamus quid entitatis habeat ipsa materia.

Certa aliquot stabiliuntur.

Vtergo ab his, quæ certa videntur, incipiamus, primum indubitatum esse videtur materiam, quæ actu est sub forma, & cum illa componit substantiam corpoream, habere aliquid entitatis realis & substantialis, & realiter distinctæ ab entitate formæ. Tot hæc assertio sumitur ex Aristotele 8. Metaphysicæ textu 3. & 12. Metaphysicæ, textu 14. & 2. de anima, textu 2. & alij locis, in quibus diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. Quia vero materia non est substantia completa, ideo 1. Physicæ textu 66. & 69. ait materiam esse ens, non vt hoc aliquid, sed vt subiectum, eiusque entitatem explicat per analogiam ad materiam artificialem, & text. 79. & sequentibus ait propius accedere ad rationem substantiæ, & li. 2. Physicæ text. 10. materiam dicit quandam naturam. Similiter Plato in Timæo materia sub ente consti-